

licet reatu mortis æternæ in anima feriantur. »
 Unde secundo, grando hæc ignea, sive ignis hic grandinans typus fuit ignis infernalis, qui grandinabit et afflabit damnatos. Quis non timeat hunc ignem, hæc grandinem? Eum horrebat S. Hieronymus, ideoque omnes voluptates abiecit, et in eremum veluti portum salutis se recepit. « Ille ego, » ait ipse epis. 22 ad Eustochium, « qui ob gehennæ metum, tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum. » Eum horrebat Cyrillus Alexandrinus in orat. De exitu animæ: « Gehennam, ait, timeo, quippe interminatam; exhorreo tartarum, ut cui nimium insit calor; paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis; formido pestiferum vermem, quoniam est perennis. » Merito ergo pueris nos confert Chrysostomus, qui larvas timeant, non ignem: ita enim nos larvas malorum, puta temporalia damna et erumnas timeamus; ipsum vero malum, id est peccatum, ignemque æternum quo nos ducit, non formidamus. Ita ipse hom. 5 ad Populum.

TANTÆQUE FUIT MAGNITUDINIS, QUANTÆ ANTE NUNQUAM APPARUIT IN UNIVERSA TERRA ÆGYPTI. — Hinc colligas falsum esse quod quidam fabulantur, nunquam in Ægypto visam esse pluviam, nunquam grandinem. Si enim recta hic sit comparatio, inferre licet: ergo visa est aliquando grando, et multo magis pluvia in Ægypto, sed non tanta quanta hæc. Hinc et Diodorus Siculus, lib. I, cap. II, in Ægypto docet esse pluvias, sed rarissimas; et Philo: « Ægyptus, inquit, hiemem nescit, hiemalesque tempestates: hæc circa brumam irroratur parvis rarisque pluviis in locis duntaxat maritimis: supra Memphis autem nullas omnino sentit; » et causam subdit: « Quod Ægyptus non longe absit a zona torrida (tantum enim abest 25 gradibus ab æquinoctiali), ac consequenter æstuet; quodque stagnationes Nili arva satis fœcundant, ut naturæ de imbribus Ægypto providere non sit opus. » Mirum vero est et quasi incredibile, quod addit Philo, Nilum inundantem nubes e quibus fit pluvia, absumere: neque enim ad nubes intumescit Nilus, nisi velit dicere Nilum exundantem sua violentia impedire, quominus vapores ascendant, et densentur in nubes, aut quod occulta sympathia eas ad se attrahat.

Nota: Nili exundatio incipit solstitio æstivo, deficit æquinoctio autumnali, juvatque agros tum inundando, tum oblimando et pinguefaciendo. Addit Seneca, lib. IV Natur. Quæst. cap. II, naturam ita disposuisse, ut eo tempore Nilus inundet Ægyptum, quo terra maximo æstu usta aquam profundius haurit et imbibit; ut tantum tunc hauriat, quantum annuæ siccitati sufficere possit.

Hujus exundationis causam variè variam dant: Solinus eam tribuit soli et astris. Secundo, Ephorus eam tribuit terre rare et arida, et in Ægypto desudanti. Tertio, Herodotus eam tribuit naturæ Nili, quasi hic natura sua aquas ad se attrahat,

itaque exundet. Quarto, alii eam tribuunt subterraneis sinibus, qui pleni aquis in Nilum se effundant. Quinto, Thales et Elianus eam tribuunt Etoisii, qui ex adverso flantes descendenti Nilo resistant, eumque reverberant, ut exundet. Verum experientia compertum est augmentum Nili effici non ex adverso, sed ex paludibus, ex quibus Nilus descendit.

Dico ergo causam exundationis Nili esse imensam pluvialis aquæ vim (adde et nivium colligationem) quæ ad paludes, et loca illa superiora, e quibus Nilus fluit, stato anni tempore colligitur et in Nilum influit, eumque ita adauget, ut exundet magis minusve, pro imbrum et rivulorum in Nilum influentium copia vel raritate. Ideo vero hæc inundatio in Ægypto æstate accidit, quia paludes illæ et fontes, ut nostro hoc sæculo compertum fuit, in ea mundi parte sunt, ubi hiems est eo tempore, quo Alexandria, et in Ægypto est æstas: unde imbribus tunc abundant, concurrente forte ad idipsum cœlesti vi alioquin sideris inibi dominantis, ut vult Scaliger exercit. 47 in Cardanum; et Comimbriensis in Meteora, tract. IX, cap. X.

26. TANTUM IN TERRA GESSEN, UBI ERANT FILII ISRAEL. — g. d. Totæ Ægyptus percussa est grandine, excepta Gessen, in qua multi fuere ab ea immunes, scilicet Hebræi, cum suis jumentis et agris. Nam Ægyptios æque ibi ac alibi grandine tactos esse dixi vers. 6 (1).

30. NOVI AUTEM QUOD ET TU, ET SERVI TUI NECDEM TIMEATIS DOMINUM, — timore scilicet pietatis, ex reverentia et religione in Deum manantis: ita S. Augustinus, Quæst. XXXV; vel etiam timore servili penarum, tali videlicet, ut eo permanente cessantibus flagellis dimittatis populum. Unde hebraice est: Novi quod non timebitis Dominum. Nam alioquin eos ad tempus, quo plage durabant, timuisse Dominum, omnes hæc eorum preces testantur; quæ ita eorum cor ad breve saltem tempus immutavit, ut serio cogitarent populum dimittere: ideo enim paulo post Pharaon liber a pœna ad ingenium rediens, rursus induratus dicitur.

32. TRITICUM AUTEM ET FAR NON SUNT LESA. — Hebræi et Lytanus per far accipiunt spellam, quæ extra aristas thæcis etiam includitur, cum triticum sola arista claudatur.

QUIA SEROTINA ERANT, — hebraice, quia erant tenebrosa, id est, quia nondum prohibant, et latebant adhuc sub terra, vel tenui gramine; nam circa finem februarii hæc contigerunt, ut patet ex diebus cap. VII, sub finem Quæst. III.

33. ET INGRAVATUM EST COR EJUS. — Toties ictum cor Pharaonis, hoc editis signis, tot plagis immissis

(1) Peccavi hac vice, id est, nunc demum me peccasse confiteor.

Vers. 28. Et multum, id est satis est fuisse, sufficit et ne sint amplius voces Dei, tonitrua, et grando.

non est mollitum, sed induruit semper, ideoque durius indies evasit; hebraice est, aggravavit Pharaon cor suum. PER MANUM MOYSE, — per Moysen: manus enim est organum organorum, ait Aristoteles; est hebraismus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur octava plaga Ægypti, quæ fuit locustarum, et, vers. 21, nona, quæ fuit densissimarum tenebrarum, quibus mollitus Pharaon Hebræos abire permittit; sed omnium, etiam pecorum, missionem urgente Mose, se rursus obdurat, Mosique mortem minatur.

1. Et dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem; ego enim induravi cor ejus, et servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo. 2. et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quod contiverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis, et sciatis quia ego Dominus. 3. Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Usquequo non vis subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. 4. Sin autem resistis, et non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos: 5. quæ operiet superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini; corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. 6. Et implebit domos tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui, et avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem. Avertitque se, et egressus est a Pharaone. 7. Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum: Usquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides quod perierit Ægyptus? 8. Revocaveruntque Moysen et Aaron ad Pharaonem, qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quoniam sunt qui ituri sunt? 9. Ait Moyses: Cum parvulis nostris et senioribus pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et armentis; est enim solemnitas Domini Dei nostri. 10. Et respondit Pharaon: Sic Dominus sit vobiscum, quo modo ego dimittam vos, et parvulos vestros. Cui dubium est quod pessime cogitetis? 11. Non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino: hoc enim et ipsi petistis. Statimque eiecit sunt de conspectu Pharaonis. 12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, et devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini. 13. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, et Dominus induxit ventum urentem tota die illa et nocte; et mane factus, ventus urens levavit locustas. 14. Quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futurae sunt. 15. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis, et in herbis terræ, in cuncta Ægypto. 16. Quam ob rem festinus Pharaon vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. 17. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. 18. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum. 19. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, et arreptam locustam projecit in mare Rubrum: non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti, 20. et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel. 21. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, et sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, ut palpari queant. 22. Exteuditque Moyses manum in cælum, et factæ sunt tenebræ horribiles in

universa terra Aegypti tribus diebus. 23. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat: ubiqueque autem habitabant filii Israel, lux erat. 24. Vocavitque Pharaon Moysen et Aaron, et dixit eis: Itē, sacrificate Domino, oves tantum vestrae et armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum. 25. Ait Moyses: Hostias quoque et holocausta dabis nobis, quae offeramus Domino Deo nostro. 26. Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis ungula; quae necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri; praesertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. 27. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. 28. Dixitque Pharaon ad Moysen: Recede a me, et cave ne ultra videas faciem meam; quocumque die apparueris mihi, morieris. 29. Respondit Moyses: Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.

Ver. 1.

1. EGO ENIM INDURAVI, — eo modo quo dixi cap. vii, vers. 3.

Capitare ianissimi matrem rem reponat Dei locustali, venisati et justitia.

UT FACIAM SIGNA MEA HEC IN EO, — non quasi captans supplicii materiam, puta culpam, sed positam iam ejus culpam justissime ordinans ad meritam poenam, et justitiae suae gloriam. Capitare enim puniendi materiam alienum est, primo a divina bonitate; triste enim est, et dedecus principi multa excercere supplicia, aequae ac Republicae est, multa videre civium funera, ait Seneca. Secundo, a Dei veritate, quae toties Pharaonem ad poenitentiam hortata est, tot intentatis plagis, quae significabant Deum serio, et ex animo ejus respicientiam et salutem cupere. Tertio, a justitiae ordine, qui habet, ut poena non intelligatur, nisi praevia culpa, utque poena sit propter culpam, non contra.

Ver. 2.

2. ET NARRES, — tu et gens tua, cujus tu dux es, caput et liberator (1).

Ver. 4.

4. INDEUCAM CRAS LOCUSTAM, — locustarum multitudinem. Hebraeorum enim ארבה arte et locustam, et locustarum multitudinem significat: dicitur enim arte a multitudine: nam radix רבה raba significat multum esse.

Octava plaga locustarum quanta?

Octava fuit haec plaga Aegypti, scilicet locustarum plurimarum, quae ita terram operuerunt, ut nihil terrae appareret. « Ecce, inquit Rupertus, quales acies instruxit Dominus, pugnando pro Israel in Aegyptios, puta ranas, sciniphes, muscas, locustas: a locusta victus est fortis rex, sed in sua infirmitate superbiens; qui cervicem exerarat contra Deum, eam nunc pulci subijcit. » Haec enim locustae devoraverunt quidquid erat virens in terra, ut dicitur vers. 13, scilicet omnes fructus, frondes, germina, herbas, semina, ligna etiam tenera: quin et domos ingressae eas implerunt, ut dicitur vers. 6, in oculis et corpora insipientes, hominesque morsu suo necantes, ut dicitur Sapient. xvi, 9. Unde Plinius, lib. XI,

(1) Pro contrivierim hebraea habent דתקלתי, illius, et simpliciter operatus sum. Hieronymus interpretatio debet videtur male intellecta, magistri sui Hebraei explicationi. Is enim quum דתקלתי interpretatus esset דתקלתי (per sin), illius, Hieronymus id sinistre cepit pro דתקלתי (per schin), contrivit.

cap. xxix, ut locustas esse deorum patrem. « Nam et grandiores, inquit, cernunt, et tanto volent pennarum stridore, ut aliae alites credantur, sollemque obumbrant, sollicitae spectantibus populis, ne suas operiant terras: longinqua maria transeunt, continuata plurimum dierum fame, ut externa pabula petant: dira messes contingunt nube, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes. » Haec plaga locustarum etiam nunc frequens est in Aethiopia, sive Abyssia, quae Aegypto adiacet. Illud enim clima locustarum est ferax.

Haec ergo locustae domos, lectos, cibos omniaque Aegyptiorum invadebant et fodebant; in viis quoque conculcaute, et in sanien conversae horrorem et fetorem excitabant.

Topologicae, octava haec locustarum plaga significat culpam et poenam eorum, qui violant octavum preceptum: « Non dicas falsum testimonium. » Lingua enim mendax et detractoria dente locustae est nocentior, tum aliis, tum sibi, uti in gehenna patebit. Unde Apoc. ix, 7, mendaces haereticos comparantur locustis. Ita Augustinus, Prosperus, Rupertus et alii.

Rursus S. Gregorius, lib. XXXI Moral. cap. xx (ubi multa habet de locustis), per locustas intelligit linguas adulantium, quae omnem virorem virtutum sua adulatione corrumpunt, dum ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant.

7. USQUEQUO PATIEMUR HOC SCANDALUM? — Hebraea, Quamdiu erit hoc nobis in scandalum (2), mala scilicet delinendo Hebraeos in durissima mala continuo impingimus.

NONNE VIDES QUOD PERIERI, AEGYPTUS? — Hebraea hic dupliciter vertit Vatablus: Primo, et planissime sic, visne prius experiri Aegyptum esse perditam? q. d. Nunquam dimittes populum hunc, quin tota Aegyptus perierit; aut, dimitte populum istum, alioqui actum est de tota Aegypto. Secundo, sic, nondum scis quod perit Aegyptus? aut, ut Chaldaeus, adhuc non scis quod perierit Aegyptus? Hebraeorum enim שרעם terem, non tantum antequam, sed etiam adhuc non significat, ut

(2) Rectus, hic, scil. Moses, in offendiculum.

patet cap. ix, vers. 30: de quo enim dicitur « antequam, » illud adhuc non est.

Ver. 3.

3. QUINAM ITURI SUNT? — q. d. Non est opus omnes ire; pauci enim ad sacrificium sufficient; saltem ad id feminis et pueris non est opus; eos ergo mihi obsides relinqui volo, ut certus sim vos non fugituros, sed redituros in Aegyptum. Vides hic Pharaonem ex parte se emoluisse, quando dimidia quasi portione cum Mose decedit; poterat ergo etiam omnino se emolliere, uti et obdurare. Plaga enim haec a Deo immissa, non tantum ad dimidium, sed ad totum eum emolliendum satis erant efficaces.

Ver. 9.

9. EST ENIM SOLEMNITAS, — quam omnes omnino Hebraeos celebrare par est, ideoque omnes oves et armenta nobiscum ducere debemus: nescimus enim quae, et quot Deo nostro sacrificare oporteat, quae et qualia Deus delectatur et postulatur sit. Verum dicebat Moses: evocabantur enim a Deo Hebraei ad agendam celebritatem in monte Sina, ubi multas immolarunt victimas in confirmatione legis, dedicatione tabernaculi, et sacerdotum consecratione, ut patet cap. xxiv et xxix; multa tamen hic subijcit Moses, quae silere erat prudentiae.

Ver. 10.

10. SIC DOMINUS SIT VOBISCU. — Est mycterismus, id est, sermo cum naso et sanna, sive simulatus risus, sed tamen non latens, puta subannatio cum suspensione nasi; jam sensus est: Sic Deus vos adjuvat, sicut ego dimittam vos, q. d. Nullo modo vos adjuvabit, vel adjuvare poterit Deus vester: uti nullo modo vos dimissurus sum cum parvulis et pecoribus vestris.

Ver. 11.

11. HOC ENIM PETISTIS. — Hic Pharaon mentitur, sed regia licentia, cui nemo contradicere ausit. STATIMQUE EJECTI SUNT. — Intelligitur per hebraicum historicum, quod et Moses iterum Pharaoni roganti, ut soli viri irent ad sacrificium, idipsum negavit, volueritque omnes etiam parvulos missos fieri, atque inde exacerbatum regem jussisse eos expelli.

Ver. 12.

DISCANT HIC CONFESSARI, CONSILIARI ALIQUE MONITORES PRINCIPUM, GRATIAM PRINCIPUM NON ACCUPARI, sed parere se ad opprobria, exilia, atque cum Mose ex aulis expelli, ut fideles sint Deo et justitiae.

Ver. 13.

Rursus vide hic miram patientiam et longanimitatem Dei et Mosis, dum toties et tanto tempore, leniter et patienter ferunt dura, perfida et minacia responsa Pharaonis tyranni, eumque nunc per preces, nunc per minas, nunc per plagas ad aquitatem flectere conantur. Sane Moses hic angelus fuit potius, quam homo. Legimus in Vitis Patrum, lib. VII, cap. XIX, de Joanne Thebaeo, discipulo Abbatis Ammonis. quod seni huic

infirmanti duodecim annis studiose servierit; senex autem nunquam aut blandum aut placidum verbum locutus sit. « Senex ergo moriturus coram aliis senibus tenuit manus ejus, et dixit ei tertio: Salveris, salveris, salveris. Et tradidit illum senibus, dicens: Ille non homo est, sed angelus, qui tot annis mihi infirmanti serviens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magna patientia. » Si serviens patienter uni aegro et moroso seni est angelus, quid erit Moses, qui Pharaoni, et moroso et duro ac miriaci, toties tam leniter et blandē obsecutus est, deprecando, et auferendo plagas ei a Deo immissas? qui tres miliones Hebraeorum: hominum durorum, rebellium et intractabilium, per 40 annos solus sustinuit, pavit, rexit, duxit, protexit? sane ipse et angelus, et Deus fuit, tam Pharaonis, quam Hebraeorum, ut dixi cap. vii, vers. 1.

Patientia ergo juncta clementia hominem efficit sapientem, excelsum, angelicum, divinum. Viderunt id quoque per umbram Gentiles. Ita Plato in dialogo cui nomen Criti, Socratem discipulum suum inducit: « Nullo modo injuriandum est, neque ulciscendum, quidemque ipse passus fuerit. » Et Plutarchus, lib. De Utilitate ab inimicis capienda: « Oblata, inquit, occasione ulciscendi inimicum, cum missum facere, equanimitatis est: qui vero et miserat inimicum afflictum, et opem fert indigentibus, hunc omnes amant et laudant, ob animi humanitatem et bonitatem. » Hinc Diogenes rogatus: Quomodo ulciscer inimicum? respondit paucis, sed apposite: « Probus esto. »

Quid, quod laudare etiam inimicum majorem saepe conciliat laudanti laudem, quam laudato? Tullium de Caesare dixisse affirmat: « Caesar cum statuas Pompeii everti vetuit, suas stabilivit. »

Graves auctores referunt S. Elisabetham, Hungariae regis filiam, aliquando orasse Deum, ut quoslibet qui cum injuria aliqua affecissent, afficeret ipse peculiari aliquo beneficio, ita ut injuria beneficium responderet, tuncque de caelo significatum illi esse, nunquam se suis precibus adeo Deo placuisse, atque tunc: in ejus vero tam propense in inimicos dilectionis compensationem, omnium et peccatorum condonationem fieri.

12. ET DEVORET (LOCUSTA) OMNES HERBAS QUAE RESIDUA FUERIT GRANDINI. — Grandis enim summam fere tantum herbam percusserat, tenuia vero germina, sive tum, sive si quae postea ex hordeo, lino, tritico et farre enata, locustae servata sunt: quae eo major Aegypto fuit plaga, quo illa fertior mundi pars, adeoque orbis horreum olim habita fuit.

13. VENTUM URENTIUM. — Hebraea ventum Orientalem, qui calidus est et urens: hic enim contrarius est Occidentali, scilicet Favonio, frigido et humido, qui locustas has ex Aegypto ejecit in mare Rubrum. Haec Abulensis. Verum Septuaginta et Philo Austrum vertunt; hic enim calidus et hu-

Angelus est, qui servit aegro.

Plato in dialogo cui nomen Criti, Socratem discipulum suum inducit.

Ver. 13.

Ver. 13.

Auster borealis.

rana et locustas.

midus, imperfectis animalibus, uti sunt ranae, generandis est aptissimus, atque locustas Austro, non Borea; calore, non frigore enasci docet S. Hieronymus in Joel. II. Sed dico Austrum, licet a Meridie tantum, Orientalem vocari. Solemus enim mundum in duas tantum plagas aliquando, videlicet Orientem et Occidentem, dividere, sicut et Cosmographi faciunt, quando gradus longitudinis penes illas tantum assignant: qua ratione Meridies et Auster Cienti, Septentrio et Aquilo Occidenti annumerantur. Posset, secundo, dici hunc ventum Euronotum, id est, partem Orientalem, partem Australem fuisse. En quomodo omnis creatura contra insensatos insurgit, obediuntque vindicti creatori suo.

TOTA DIE ILLA ET NOCTE, — ut calore suo fotuque locustas produceret, et productas in Aegyptum perflaret. Ubi duplex rursus fuit prodigium, vel miraculum. Primo, quod subito Deus tantum tantumque calidum ventum produxerit, qui totam perflaret Aegyptum. Secundo, quod singulari suo concursu cum eo innumerabilem locustarum multitudinem produxerit et afflavit. Unde sequitur: « Et mane facta, ventus urens levavit locustas: » mane enim ad hoc aptius est tempus, quando quae inter locustas alatae sunt, et nocturno frigore torperunt, matutino calore excitata, factaque vividae et vigorosae, avolare solent etiam naturali instinctu.

14. 44. QUALES ANTE ILLUD TEMPUS NON FUERANT, NEC POSTEA FUTURA SUNT. — Dixit hoc Moses spiritu non historico, sed prophético. Dices: Post Moysen, Joëlis cap. I, vers. 2 et 4, dicitur: Residuum cruce comedit locusta, residuum locustae comedit bruchus, et bruchi rubigo: additque Joel nunquam visum fuisse simile exemplum.

Respondet, Joëlem metaphoricè per hæc quantum, scilicet cruce, locustas, bruchum et æruginem significare exercitum Chaldaeorum, qui quater Jerusalem vastarunt: primo, dum Joakim regem, cum quo captus est Daniel, ceperunt; secundo, cum ejus filium Joachim abduxerunt; tertio, cum Sedeciam captivarunt; quarto, eum templum in cineres redegit Nabuzardan: quae vastatio proinde recte rubigini comparatur. Ita S. Hieronymus, quem passim Catholici omnes, præter Theoderetum et Lyrannum sequuntur. Ita enim se explicat Joel, vers. 6, cum ait: « Gens enim ascendit fortis et innumerabilis. » Vide ibidem Riberam (1).

15. 43. OPERUERUNTQUE UNIVERSAM SUPERFICIEM TERRE, — culta scilicet, et vestita germine; quid enim pascerent locustae, quidve vastarent in terra arenosa et glabra? Hebraice est, obtenebrata est

(1) Dicit etiam potest esse hic et Joel. II, 2, hyperbolicam et proverbialem locutionem, qua significatur nullam fuisse memoriam tam noxiarum locustarum. Eodem modo videtur intelligendum II Reg. cap. XVII, et cap. XXII, vers. 25.

terra, id est, occultata est, ita ut non videretur (2).

Quidquid POMORUM IN ARBORIBUS FUIT. — Pomum vocant Hebraei fructum omnem, tam qui tenero, quam qui duro est cortice: potuisse enim tum esse fructus, licet necdum forte plane maturos, in Aegypto regione ita calida, non mirum est; agebatur enim jam tum martius: nam in frigido hoc climate malus saepe eos nobis exhibet. Possumus, secundo, poma hic accipi metonymicè pro gemmis, sive baccis in poma protuberantibus. Sic enim vulgo florēte arbore dicere solemus: In hac arbore poma (id est gemmae) sunt plurima, florem pro fructus spe aestimantes.

17. UT AUFERAT A ME. — Hebraice additur tantum, q. d. Tantum hæc vice parcat Deus, amplius non offendam.

MORTEM, — plagam hanc, videlicet locustam, quae plantis omnibus mortem affert, ac consequenter hominibus omnibus mortem affert: hi enim fame moriantur, si seges omnis que in germine est, ledatur.

19. VENTUM AB OCCIDENTE. — Hebraice, ventum maris: quia enim mare Mediterraneum est ad Occidentem terræ Sanctae, ut et Aegypti, hinc Hebraei per mare significant Occidentem.

ET ARREPTAM LOCUSTAM PROIECIT IN MARE RUBRUM. — Querens, unde dicatur mare Rubrum, et an verus sit rubrum? Primo, Strabo et Uranius, quem citat Stephanus, lib. De Urbibus, vult mare hoc rubrum dici et effici ex repercussu solis, quod scilicet vicinorum montium ruborem, quem radiorum solis objecta reciprocantur undè excipiunt, representare videatur. Secundo, alii volunt talem illius aquae et maris esse naturam, ut rubrum sit.

Tertio, Ctesias Gnidius putat hoc mare rubrum effici ex fonte quodam, qui aquam rubiendam et minio plenam in illud mare emittat. Unde et Solinus, cap. XXXVI: Varro, inquit, in littore maris Rubri ait esse fontem, ex quo si oves bibant, mutant colorem, ut ex albis fulvae fiant et subnigrae. Quarto, mare hoc, inquit Plinius, lib. VI, cap. XXIII, graece dicitur Erythraeum, id est rubrum, a rege Erythra Persei filio, cujus sepulcrum in Tirina insula maris Rubri ostendi ferunt. Idem sentit Pererius in fine capituli XIV. Ita et Q. Curtius, Philostratus, lib. III Vite Apollonii, qui mare ipsum ait in se non rubrum, sed ceruleum esse; quin et Arrianus, lib. VIII Gestorum Alexandri: Rubrum, ait, hoc mare dicitur a Rubro, primo ibidem rege.

Verum dico hoc mare non esse in se rubrum, sed rubrum dici ab arena rubra, quae est in fundo hujus maris. Id ita esse docuit experientia: nam naute ex eo aquam haurientes hoc siculo, non rubram, sed pellucidam viderunt; et plane intellexerunt rubrum colorem in hisce aquis representari ex arenis rubeis, seu corallis

(2) Alii: Locustae mediae inter solem et terram eam obscurabant.

(corallium enim in hoc sinu gigni docet Plinius, lib. XXXII, cap. II) quibus maris illius fundus scateat. Ita ex Joanne Barrio Conimbricensis, tract. 8 in Meteora, cap. II, et Andreas Masius in Josue cap. II, et alii.

Nota: Hebraice hoc mare dicitur יַם סוּף, id est termini, quia Aegyptum ab Arabia, et terra Sancta determinat. Secundo, alii suph vertunt turbinosum, alii algosum et juncosum: est enim caricum et juncorum ferax. Ita Vatablus, et S. Hieronymus, epist. 127 ad Fabiolam.

PROIECIT. — Hebraice defecit, id est acervatim lejecit et mersit.

21. SINT TENEBRAE SUPER TERRAM AEGYPTI TAM DENSE, UT PALPARI QUEANT. — Loquitur vulgari hominum more Scriptura. Ita enim in tenebris palpitantes incedimus, ac si tenebrosus aer crassissimus appareret, palparique posset. Addunt Abulensis, Burgensis et Pererius, has tenebras vere fuisse palpabiles, quia ipsae erant nebula crassissima. Secundo, alii vertunt, sint tenebrae, ut noctis tenebras auferant, id est, obruant et obscurant. Tertio, Chaldaeus verit, sint tenebrae, etiam postquam recessit caligo noctis. Hebraicum enim יָמָוּסִים potest deduci a מוּסִים mos, id est recedere, removere; sed Noster et Septuaginta deducunt a מוּסִים masus, id est palpate.

Est hæc prima plaga, scilicet tenebrarum, eaque congrua. Primo, quia Aegyptii Hebraeos filios lucis arcuando ergastulis, ad opera dura concluderant. Tenebris ergo et carcere juste puniuntur, quia alios injuste eodem concluderant. Secundo, eis immissa fuit plaga tenebrarum, ut agnoscerent se luce hæc indignos esse, et ut presentissent in hac quasi imagine tenebras infernales. Utinamque hanc causam dat Sapiens toto capite XVII, maxime vers. ult., et cap. XVIII, vers. 4. Ita et S. Bernardus, serm. 72 in Cantica.

Querens, quae fuerit causa harum tenebrarum?

Respondet Philo fuisse eclipsin. Sed hæc solum, non autem stellas obscurat; hæcque non triduum, sed horam tantum perdurat. Secundo, Jansenius in cap. XVII Sapientiam, inquit tenebras illas non esse factas in aere, sed in oculis tantum Aegyptiorum: hos enim, æque ut Sodomitas, percussos esse caecitate, sive אֵצְמָלִים; sed repugnat Scriptura, quae tenebras has ait fuisse palpabiles, cum lux esset Hebraeis. Tertio, verisimilius Cajetaeus putat causam harum tenebrarum fuisse subtractionem radiorum solis, aliorumque siderum, ita ut versus Aegyptios ubivis locorum manentes, radios suos non emitterent, sed tantum versus Hebraeos.

Quarto et optime, Philo, Burgensis, Abulensis et Pererius censent causam tenebrarum fuisse nubes et nebulas densissimas, constipationemque aeris tantam, ut nullo lumine, ne radiis quidem solis esset penetrabilis. Hoc enim est quod dicitur Sap. XVII: « Nec siderum limpide flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam. »

Nota: Hæc tenebrae ceperunt, non decimo, ut vult Torriellius, sed undecimo die mensis primi; durarunt enim triduum, scilicet usque ad 14 diem, quo Moses evocatus a Pharaone, ei prædixit cladem primogenitorum proxima nocte futuram, ut patet bit cap. XI, vers. 4. Decimo ergo die Hebraei compararunt agnum paschalem, ut jussit Deus cap. XII, 3. Septem vero die, puta undecimo, inflicta est plaga tenebrarum Aegyptii: cessavit ea die decimo tertio. Postero die 14, Moses minatus est Pharaoni eadem primogenitorum, eamque proxima nocte diei 15 (puta in paschale), inflixit Deus.

22. TENEBRAE HORRIBILES. — Hebraice, tenebrae caliginis, id est maxime caliginosae et densissimae, ideoque horribiles. Nam, primo, erant tantae, ut essent palpabiles; secundo, durarunt tres dies et noctes; tertio, fuerunt in universa terra Aegypti; quarto, in eis non viderant sese invicem Aegyptii, nec moverunt se lecto vel loco suo, quasi essent vineulis in carcere constricti, ut ait Sapiens cap. XVII, 16: cum interim reliqui homines toto orbe, quin et Hebraei in Aegypto, clarissima luce fruerentur; quinto, non audebant præparare Aegyptii loqui, comedere aut e cubili surgere, sed per silentium fame cruciabantur, nulli vacantes salsui, nisi ut presens malum sentirent, ait Philo; sexto, audebant Aegyptii horribiles sonitus, et videbant per flammam intermictentes spectra et monstra terrificæ, quae illos tantum non exanimabant. « Apparebat enim illis subitaneus ignis timore plenus; et timore percussi illius, quae non videbatur faciei, aestimabant deteriora esse, quae videbantur, » ut dicitur Sapient. XVII, vers. 6: septimo, ex conscientia male sibi conscientia remorsu omnia pavebant et horrebant, ait Sapiens, sive sonum avium, sive mugitum bestiarum, sive strepitum arborum, sive fragorem aquarum, lapidum aut montium audirent, putabant omnia hæc in necem suam conjurasse: « Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, et serpentium sibilatione commoti tremebundi peribant, » ut dicitur Sap. XVII, 9. Vide hic quam pavida, quam anxia sit mala conscientia; nam, ut ait ibidem Sapiens: « Semper presumit sevea perturbata conscientia. » Et Cicero in Pisone: « Sua, inquit, quemque fraus, sum factus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hæc sunt impiorum furia, hæc flammæ, hæc faces; » et Macrobius lib. I in Somnium Scipionis, cap. X: « Vulturem, inquit, secur immortale rodentem nihil aliud intelligi voluerunt (sapientes Poetae), quam tormenta male conscientiae, obnoxia flagitio viscera interiora manantis, et ipsa vitalia indefessa admitti sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentarint, excitantis, tanquam fibrils resuscitentibus inherendo, nec ulla sibi miseratione parentis lege hæc, quae se iudice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam. » Sententiam intellige, arguentis et condemnantis con-

Car. vocatur hebraice mare suph?

Vers. 21. Nota plaga fuit tenebrae palpabiles, quomodo?

Cap? Mare Rubrum unde dicitur? Prima sententia.

Quæ causa illarum? Prima sententia. Secunda.

Tertia.

Quarta. Causa tenebrarum fuit nebula.

Vers. 22. Octo horribilia in hisce tenebris. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octo: scientia; octavo, addunt Septuaginta cum tenebris fuisse turbinem, procellam et tempestatem.

Vers. 23. **23. NEMO VIDIT FRATREM (proximum) SUUM, NEC MOYIT SE DE LOCO IN QUO ERAT.** — Hebr., *et non surrexit vir de subter se, q. d.* De sede, vel loco, cui insidebat. Septuaginta, *et non surrexit ullus ex cubili suo*: nimirum attoniti tanto prodigio, praesertim in tenebris tam horrendis positi, omnia formidabant, ut se loco movere non auderent. Metuebant enim ne, si se moverent, in spectra et monstra aut precipitia incurrerent; nam ex tam insolitis tenebris putabant totum mundi ordinem perverti et dissolvi. Unde Sap. xvii et xviii, dicitur Aegyptios fuisse tunc quasi catena quadam vincetos, et in carcere reclusos, ideoque miserabiles tunc emisisse voces, quae ab Hebraeis audirentur: omni enim solis, celi, ignis, candelae, omnique omnino lumine orbati erant. Unde Philo: Ignis, ait, quo utimur, vel aere turbato extinguebatur, vel vincebatur a crassissimis tenebris. Et Sapiens cap. xviii ait: « Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen praebere. »

Quare errat Cajetanus, dum ait Aegyptios fuisse tantum lumine caelesti, non autem domestico ignis aut candelae privatos: hoc enim refellit Scriptura, cum ait has tenebras fuisse palpabiles: rursus, neminem vidisse alium, neminem moisse se loco, solos Israelitas fruitos esse luce. Et vero parva aliqui fuisse haec poena: nam multi, qui ad polum vergunt, lumine caelesti naturaliter ad multos menses, imo ad dimidium annum orbantur, natura eis aliud lumen domesticum ex ligno oleato, quod ardet instar candelae, subministrante. Equid curo, sive lumine solis, sive ignis aut candelae videam, dummodo videam?

Addit Burgensis tantam tunc fuisse nebulam et crassitiam aeris, ut non modo aspectum omnem lucis auferret, sed et motum progressivum impediret. Verum hoc videtur incredibile; sic enim nebula haec debuisset esse densa, solida, et resistens instar lapidis aut ferri.

UBIQUIQUE HABITABANT FILII ISRAEL, LUX ERAT. — Hebraice est, *in sedibus suis, q. d.* Non tantum in vicis, plateis, vel domibus vicinis, sed in eadem domo, Hebraei in suis cubiculis luce gaudebant, in qua Aegyptii in Gessen habitantes, suis in locis, Cimmericis tenebris involuebantur, Deo radios solares porrigente ad Hebraeos, non ad Aegyptios; et crassissimam nebulam offundente Aegyptiis, non Hebraeis. Sap. cap. xviii, dicitur Hebraeos hoc triduo audivisse quidem voces Aegyptiorum, sed neminem eorum vidisse.

Tropologicae, haec tenebrae significabant caecitatem mentis Pharaonis et Aegyptiorum, ait Origenes, qui tot plagas experti Deo tamen credere et obedire voluerunt. Diabolus enim excoecabat corda eorum, qui in hac re facit ut aquila. Aquila enim, ut tradit Plinius, lib. xix, cap. iv, ut cervum supplantet et devoret, solet collectum volutatu pulverem, in oculos cervi cornibus insidens

excutere, ac pennis ora verberare, donec eum quasi excoecatum et furentem praecipitet in rupes: ita facit demon, terreno pulvere homines excoecat, itaque quasi furentes in rupes tartari praecipitat. Secundo, haec tenebrae significabant idololatricam et errores eorum; annon enim tenebrae sunt adorare vitulum? Tertio, significabant obscurissimas et inscrutabiles esse divinae Providentiae rationes. Deus enim « posuit tenebras latibulum suum, » Psalm. xvii. Quarto, nona haec plaga, ait S. Augustinus, respondet nono precepto: « Non concupisces uxorem proximi tui; » qui enim eam concupiscit, in magnis versatur tenebris incontinentiae et immunditiae. Hinc quinto, tenebrae haec erant imago tenebrarum inferni, de quibus S. Bernardus, serm. 16 in Cant.: « Paveo gehennam, contremiseo a dentibus bestiae infernalis, horreo vermem rodentem, et ignem torrentem, fumum et vaporem et sulphur, et spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut praeviam flentibus flentem, et stridorem dentium? » Quis hic non paveat? Si pavel, cur non caveat? « Tempus breve est, inquit Paulus, preterit Tempus huius mundi. » Ergo ita vive in mundo, ac si non esset mundus: mox enim praeteribit et evanescet. E converso, ita vive, ut in aeternum vivas, ut aeterna poenas mortemque evadas. In gehenna enim « miseris mors sine morte, finis sine fine: quia ibi mors vivit, et finis semper incipit, » inquit S. Gregorius, lib. ix Moral. cap. xlviii.

24. VOCAVITQUE PHARAO MOYSEN, — triduo tenebrarum expleto; nam eo durante nullus ausus fuit se loco movere, quod et ex verbis Pharaonis patet: neque enim, uti solet, plaga liberari rogat, utpote quae jam cessasset; sed timens diriora: « He, inquit, sacrificate » Deo. Ita Lyranus, Abulensis, Pererius.

OVES TANTUM VESTRAE ET ARMENTA REMANEANT, — pignoris vice, ne fugiatis et non redeatis. **25. HOSTIAS QUOQUE DABIS.** — Das ut abeamus, sed oportet des et hostias, scilicet oves et pecora nostra ad immolandum, et hoc sequentia indicant: sequitur enim: « Cancelli greges pergant nobiscum. »

27. INDURAVIT AUTEM DOMINUS COR PHARAOIS, — tum amovendo plagam tenebrarum; tum petendo per Moysen non tantum Hebraeos, sed et omnia eorum pecora dimitti; tum non dando ei gratiam mollentem, quam toties demeritus erat Pharaon. Unde hoc capite post tot plagas maxime haec phrasi utitur Scriptura, scilicet, quod Deus Pharaonem induravit, ut significet indurationem ejus fuisse poenam peccati.

29. NON VIDEBO ULTRA FACIEM TUAM, — sponte te non accedam, non urgebo, sed tu potius me videre desiderabis, quando in proxima et ultima plaga primogenitorum nos exire compelles, cap. xii, vers. 31.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Praedicit, et describit ultimam plagam Aegypti, scilicet stragem primogenitorum, antequam Hebraei, vers. 2, monentur a Domino ut spolient Aegyptum: spoliatio tamen haec non ante (ut voluit aliqui), sed post stragem primogenitorum peracta est, ut patet cap. xii, vers. 35, et hoc cap. vers. 1 et 2.

1. Et dixit Dominus ad Moysen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Aegyptum, et post haec dimittet vos, et exire compellet. 2. Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea. 3. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Aegyptiis. Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram servis Pharaonis et omni populo. 4. Et ait: Haec dicit Dominus: Media nocte egrediar in Aegyptum, 5. et morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum: a primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillae, quae est ad molam, et omnia primogenita jumentorum. 6. Eritque clamor magnus in universa terra Aegypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est. 7. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus, ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Aegyptios et Israel. 8. Descendentque omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me, dicentes: Egredere tu, et omnis populus qui subjectus est tibi: post haec egrediemur. 9. Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharaon, quia multa signa fiant in terra Aegypti. 10. Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta quae scripta sunt, coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

Vers. 1. **1. ET DIXIT DOMINUS.** — Dixit haec Dominus Mosi, cum Moses adhuc consisteret coram Pharaone cap. praeced. in fine: nam Moses, hanc ultimam plagam primogenitorum, ex Dei revelatione hic acceptam, ipsi Pharaoni praedixit et denuntiavit: deinde iratus ab eo exiit, ut patet hic vers. 9. Constat autem ex fine capituli praeced. Moysen nunquam amplius Pharaonem adivisse. Hinc patet Deum non corporali, sed imaginaria, vel potius intellectuali locutione haec Mosi dixisse, uti dixi cap. vi initio; neque enim dignum aut decens erat, ut Deus Mosi coram Pharaone corporali specie se videntem exhiberet.

DIMITTET VOS. — Hebr. additur *כלה* *cata*, id est consummate, sive omnino, *q. d.* Nullam rem jam excipiet, uti hactenus fecit, sed oves et omnia vestra vobiscum plene dimittet.

Vers. 2. **2. POSTULET,** — cum scilicet post plagam primogenitorum, Pharaon vos Aegypto ad sacrificium exire compellet; « postulet » autem non dono, sed mutuo, quasi mutuaturus, verum nunquam redditurus, sed mutuum ex donatione mea retenturus: hoc enim mutuum ego vobis dono et condono.

AB AMICO SUO, — a proximo, vicino, aut socio

suo; hoc enim est Hebraeum *רע* *rea*: hinc patet non solos Hebraeos, sed et Aegyptios habitasse in Gessen. Unde et cap. xii, jubentur Hebraei sanguine agni tingere domos suas, ut eas angelus vastans discernat ab Aegyptiis. Pelierum ergo Hebraei haec vasa a suis vicinis, ab amicis, ab heris: multi enim ex eis erant servi et servae Aegyptiorum.

VASA ARGENTEA ET AUREA, — quasi iis indigeatis ad sacrificium, quod molimur, in hisque sanguinem hostiarum, similia, sal, ignem, thus, aliaque quae ad sacrificium pertinent, sitis excepturi. Addunt Septuaginta ex cap. xii, vers. 35, « et vestes, » quasi iis ornandi sitis in tanta solemnitate et sacrificio.

3. DABIT GRATIAM, — ut Hebraei haec vasa et vestes petentes ab Aegyptiis, iis placeant, videanturque rem equam, congruam, quaeque eis concedi debeat, petere: corda enim hominum in manu Dei sunt, ut hostes qui ante opprasserant, jam non tantum repente cedere et comes, sed et liberales reddat.

FUITQUE MOYSES VIR MAGNUS, — *q. d.* Ideo eum tam libere loquentem et impudentem tangere aut laedere non est ausus Pharaon; rursus, ideo facilius Aegyptii vasa sua commodarunt Hebraeis.

Vers. 4. 4. ET AIT, — Moses inspiratus a Deo dixit Pharaoni. Rediit ad id quod factum est in fine cap. x, ut dixi vers. 1.

MEDIA NOCTE, — proxima nocte, quae scilicet secunda est decimam quartam diem mensis primi Nisan. Illa enim decima quarta die ad vesperam celebrantur pascha, in quo caesis noctu primogenitis, Hebraei liberi Aegypto egressi sunt. Dixit ergo haec Moses decima quarta die Nisan mane, antequam egrederetur ex aula Pharaonis: Moneatur hic, ait Rupertus, non dormire, sed sobrius esse, et vigilare; quia pari modo ex improviso, cum minime putamus, veniet Dominus ad iudicium. Nam, ut dicitur *Matth. xxv*: «Media nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exite obviam ei.» Proinde per os David Ecclesia dicit: «Media nocte surgebam ad confitendum tibi.» Quinimo vere Jesum Christum venturum nocte ad iudicium, ut perdat Aegyptios, id est reprobos, ex hac figura, et ex *Matth. cap. xxv, vers. 6*, docent S. Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus ibidem, qui addit hanc esse Apostolicam traditionem. Alii tamen Christum putant venturum mane. Sed de hac re alibi dicendum est.

EGREDIAR IN AEGYPTUM, — non locum mutans, sed actionem: quos enim hactenus in vivis servavi, perdam et occidam; qui ergo ut ultor ab Aegypto abfui, iam ut victor ingrediar, eosque visibilo vindicta mea. Licet enim inter eos plerique parvuli innocentes sint, nocentium tamen sunt filii, ideoque quasi pars aliqua sunt patrum noxiorum et rebellium, quos filiorum morte plebere decevi. Deus enim est sentium et insontium, vite et mortis dominus, ut insontibus non injuste vitam adimat, ut dominus; sontibus vero iustissime etiam eripiat, ut vindex malorum.

Vers. 5. 5. ET MORIETUR OMNE PRIMOGENITUM A PRIMOGENITO PHARAONIS, QUI SEDET IN SOLIO EJUS, — qui simul cum patre regnat, vel post patrem in solio sessurus et regnaturus est.

USQUE AD PRIMOGENITUM ANCILLE QUE EST AD MOLAM, — quae molas, puta trusatiles, versat in pistrino, quasi dicat: Clades haec in omnes, et a nobilissimo usque ad vilissimum pervadet. Iuste caede primogenitorum puniuntur, qui Hebraeos primogenitum Dei populum oppresserant, et proles eorum masculas interemerant, ait Theodoretus.

Vers. 6. 6. ERITQUE CLAMOR MAGNUS. — Generalis enim haec plaga omnes tetigit: nam, cum postea merus est Pharaeo cum suis, plaga illa non omnes tangebatur domos, sed tantum militum Pharaonis: neque valde Pharaonem sublaturum doluerunt Aegyptii, utpote cuius culpa tantas incurrerant clades et calamitates.

7. APUD OMNES AUTEM FILIOS ISRAEL NON MUTIET CANIS AB HOMINE USQUE AD PECUS. — Est proverbium Hebraicum, q. d. Nemo hominum, nullum pecus mutiet aut mugiet, ne canis quidem, qui minimo strepitu allatrat; sed apud omnes erit summa pax.

Verum quia *ab homine* in Hebraeo habet articulum dativi, et quia non recte canis numeratur inter homines, hinc *secundo*, et genuine cum Chaldeo et Vatablo sic explices: Neque hominibus, neque iumentis filiorum Israel allatrabit ullus canis, quia apud eos nulla erit plaga mortis, ac consequenter nullus luctus et planctus, in quo praeter aliis bestiis ejulare et latrare solent canes; sed summa erit apud eos quies.

8. DESCENDENTQUE SERVI TUI, — ino et tu, **Vers. 8.** Pharaeo, quod tamen tuo deferens honoris iudicio, ut patet cap. xii, vers. 31 (1).

Decima haec fuit plaga, nimirum caedes primogenitorum, tam hominum, quam iumentorum omnium, indicta cap. seq. vers. 29, fuitque acerbissima. *Primo*, quia primogeniti summe cari et pretiosi sunt parentibus, praesertim quia inter hos primogenitos multi erant unigeniti, unicuique parentum haeredes. *Secundo*, quia singulae familiae haec plaga afflictae luxerunt. *Tertio*, quia et Pharaeo haec plaga primogenitum suum perdidit. *Quarto*, quia media nocte haec caedes contigit; unde haec plaga permovit Pharaonem, ut absolute Hebraeos dimitteret, qui eadem ipsa nocte sua convasantes egressi sunt. *Quinto*, simul cum haec plaga Apis, alique dii Aegyptiorum eversi sunt, ut patet cap. xii, vers. 42.

Quaerens, an haec caedes facta sit per angelum bonum, an per malum. Per malum eam factam esse putant Lyranus et Abulensis. Probant ex cap. xii, vers. 23, ubi dicitur: «Non sinet (Dominus) percussorem ingredi domos vestras et ledere: a hic ergo percussor fuit malus: voluit enim ledere Hebraeos, qui erant populus Dei (quod angelus bonus non fecisset); sed Deus id non permisit.

Verum Pererius, et alii probabilius censent eam factam esse per angelum bonum: per hunc enim reliquae plaege infectae sunt, ut dixi cap. vii, sub finem Quaest. IV. Ad argumentum respondeo: pro non sinet, hebraice est non dabit, q. d. Deus haec omnia ordinans et praescribens angelo, iubebit illi, ut Aegyptios feriat, vestras autem domos, o Hebraei, pertranseat: itaque non dabit illi potestatem vos ledendi; unde non sequitur angelum hunc voluisse ledere Hebraeos, sed tantum eum non accepisse a Deo ordinationem illos ledendi. Ita Cajetanus. Adde, inter Hebraeos fuisse aliquos impure et improbe vite, quos angelus iuste ferire potuisset et voluisset, si Deus permisisset.

Nota non nnum, sed plures fuisse angelos, qui hanc caedem peregrerunt, ut patet *Psal. lxxvii, vers. 49*. Haec enim caedes eodem instanti facta est undique in singulis urbibus et pagis per totam Aegyptum: idem autem angelus non poterat eodem instanti esse in tot locis, ibique tantam stragem tam discrete operari: secus fuit in exercitu

(1) Negant alii, et quod infra xii, 31 narratur, ita intelligunt, ut non Pharaeo ipse Mosen adisset (cf. x, 29), sed servos suos ad eum miserit, id quod h. l. Moses futurum praesentia.

Sennacherib, in quo, utpote conjuncto, unus angelus, una nocte occidit 183 milia, *IV Regum, cap. xix*. Unde Pererius probabiliter putat, in quilibet civitate fuisse unum angelum, qui occiderit primogenita Aegyptiorum.

Quaerens *secundo*, qui intelligantur hic primogeniti? Respondeo: omnes illi, qui primo nati erant ex suis parentibus, sive haberent filios, sive non, et sive viverent eorum parentes, sive non; quare omnes patresfamilias qui erant primogeniti, hic caesi sunt, rursus eorum parentes, quin et filii, si erant primogeniti. Unde, quia Pharaeo hic non fuit caesus, hinc liquet, eum non fuisse primogenitum, sed primogenito mortuo, vel praeterito in regnum successisse. Addit Abulensis primogenitos hic intelligi tam feminas quam mares, idque sive primogeniti essent respectu utriusque parentis, sive unius tantum. Quo posito, fieri poterat, ut in una domo plures essent primogeniti, verbi gratia, ut paterfamilias esset primogenitus parentibus suis, et uxor primogenita esset suis, et utriusque filius primogenitus; et, si pater ille plures haberet uxores, atque ex singulis liberos, respectu cuiuslibet uxoris erat unus primogenitus, ita ut in una familia quinque, et plures subinde essent primogeniti, quos omnes in hac plaga caesos esse censet Abulensis, atque ita facile fieri potuit id quod ait Scriptura cap. xii, vers. 30: «Neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.» Deus tamen pro hisce primogenitis Hebraeorum hic servatis, solos eorum mares primogenitos sibi offerri deposcit, cap. xiii, vers. 12.

Audi de hac caede Sapientem cap. xviii: «Cum quietum, inquit, silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de caelo a regalibus sedibus, durus debellator in medium exterruit terram proslivit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad caelum attingebat stans in terra.» Hinc videtur quod angelus non peste, sed gladio occiderit haec primogenita. Verum «gladius» in Scriptura omne instrumentum, omnia arma, omne genus mortis significat, ut alibi dixi: nec angelus indiget gladio; facillime enim frangendo cor, aut collidendo partes vitales, aut suffocando, aliisque similibus modis se solo potest homines occidere, perinde ut nos pulices digito comprimimus et occidimus.

Tropologie S. Augustinus, in lib. *De Convenientia decem precept. cum decem plagis Aegypti*: Qui peccant, ait, contra decimum preceptum: «Non concupiscas,» per fraudes, rapinas alisque injustitias, hi puniuntur morte primogenitorum, quia non relinquuntur haeredes bonorum male partorum, ac non raro eorum filii et haeredes, etiam primogeniti, emoriuntur; nam male parta male dilabuntur, et «de male quaesitis non gaudet tertius haeres.»

Secundo, primogenita Aegyptiorum sunt diabolus et angeli ejus, quos Christus adventu suo perdidit. Rursus sunt haeresiarche et inventores falsarum religionum, quas Christi veritas cum suis extinguit auctoribus. Ita Origenes, S. Augustinus, sermone 87 *De Tempore*.

Tertio, Pererius: Aegyptii, inquit, sunt hostes fidelium, puta diabolus et mundus. Diaboli primogenita sunt peccatum, maxime originale, ait Rupertus, et mors. Primus enim parens peccati fuit Lucifer et serpens in paradiso, ejusque invidia mors introivit in orbem terrarum. Haec occidit Christus, cum mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Mundi primogenita sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vite: haec occidit Christi gratia per munditiam carnis et cordis, paupertatem spiritus, ac humilitatem mentis. Nonne mundi primogenita sunt divitiae, honores, voluptates, inanis gloria? haec percussit Christus concubia nocte nascendo. Divitias enim admirabili paupertate presepi, honores inaudita humilitate tenebrarum, voluptates ipsius stabili asperitate contrivit. Unde jam paupertas divitiarum nomen sibi vindicat; divitiae, inopia appellantur; ignominiae, ludibria et opprobria, quae Christi causa tolerantur, honores dicuntur; crux, gloria; mors, vita; carcer, libertas nominatur.

9. ET EXIVIT A PHARAONE IRATUS NIMIS, — tanta tergoversioni, pervicaciae et rebellionis Pharaonis.

DIXIT AUTEM DOMINUS AD MOYSEN. — Est epilogus et summa praecedentium capitum, q. d. Dixerat autem Dominus ad Moysen, quia ante plagas Aegyptii immisissas cap. iii, vers. 19.

10. NEC DIMISIT FILIOS ISRAEL, — hucusque scilicet, usque ad decimum plagam: nam in decima eos dimittet, uti videbimus capite sequent, vers. 30.

Myrica, caedes primogenitorum quid? Resp. Primo.

Decima plaga fuit caedes primogenitorum, equae acerbissima ab antiquo tunc.

An primogeniti caesi sint per angelum bonum? Negat Rupertus.

Affirmat Pererius, sique veritas est.

Media nocte Christi-ventus ad iudicium.